



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtrùm necesse sit exprimere personam quæ baptizatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

cramenti esset indeterminata. Ablutio enim ipsa per se non satis significat spiritalem animæ ablu- tionem, nisi per verba ad id determinetur, sicut materia per formam determinari debet.

Aduerte tamen, Actum baptizandi variè posse exprimi: sufficit enim, vt exprimatur, quatenus actu exercetur: vt, *Baptizo te, Baptizari, Baptiza- tur*; vel (vt dicunt Græci) *Baptizetur seruus Chri- sti, in nomine Patris, & Filij &c.* qui tamen verum baptisma conferunt, vt definitur in Concilio Flo- rentino: ab antiquissimis enim temporibus hac formâ vsi sunt.

Quòd autem Innocentius IV. in cap. 1. de Ba- ptismo & eius effectu, putat, si Latinus diceret, *Bap- tizet te Christus in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; cum nihil effecturum, eò quòd apud Lati- nos talis forma non sit recepta; apud Græcos ta- men, vbi hæc forma toleratur, fore ratum baptis- ma; fundamēto caret, & benè refutatur ab Adria- no qu. de Baptismo art. 3. dub. 2. Ratio est, Quia vbiunque locorū & à quocumque adhibeantur omnia, quæ sunt de essentia Sacramenti, confici- tur Sacramentum; neque consuetudo, vel prohi- bitio Ecclesiæ essentialia potest mutare. Et con- firmatur in proposito: quia si expressio solius Mi- nistri exercentis actum sufficit ad essentia Sacra- menti, vt patet apud Latinos; cur non expressio solius Christi sufficiat sine Ministro inferiore, cum ipse sit Minister principalis, qui in omnibus Sa- cramentis semper operatur? Vnde etiam in Sacra- mento Confirmationis ad essentiam Sacramenti sufficit, *Consignet te Christus*: in Pœnitentiâ, *Ab- soluat te Christus*: sicut in extrema Vnctione, *In- dulgeat tibi Deus*. Quòd autem idem Innocentius ait, non fore baptismum; si quis dicat *Ego Paulus baptizo te, vel baptizetur seruus Christi à me*, minus habet apparentiæ.

D V B I V M II.

Vtrum necesse sit exprimere personam que baptizatur?

Respondeo, Omnium consensu id esse necesse- rium. Videtur definitū ab Alexandro III. loco citato. Colligitur Matth. 28. *Baptizantes eos.*

Ratio est; Primò, Quia alioqui actus bapti- zandi non significabitur, quatenus hic & nunc sit in particulari; quod tamen est necessarium: nam Sacramentum consistit in actu particulari, qui hic & nunc fit circa certum subiectum, vt homo intelligat se hic & nunc sanctificari. Secundò, Quia effectus baptismi non est remissio peccato- rum in communi, sed huic collata: ergo vt Sa- cramentum significet huic conferri gratiam & rem-issionem, debet exprimi persona cui confer- tur. Quam ob causam etiam in Sacramento Con- firmationis, Pœnitentiæ, Ordinis, & extremæ Vnctionis exprimēda est persona suscipiens. Ter- tiò, Quia baptismus est spiritalis quædam regen-eratio: generatio autem requirit distinctionem inter generans & genitum; quam distinctionem oportebat exprimi. Hinc fit, vt nemo seipsum baptizare queat: vt definitum est ab Innocen- tio III. Cap. *Debitum*. de Baptismo & eius effe-ctu. Potest autem hæc persona exprimi, vel di- cendo *Baptizo te*; vel vt Græci, *Baptizetur seruus Christi*. Rectius tamen Latini: quia melius sic explicantur causæ baptismi, effectus eius, & ipse actus, vt hic & nunc obitus. Accedit; Quòd is,

qui baptizatur, nondum sit seruus Christi, sed per baptismum fiat.

D V B I V M III.

Si quis sic diceret, Ego te Paulum bap- tizo &c. & hic non esset Paulus, sed Petrus: vtrum esset validus Baptismus?

Respondeo, Sine dubio esse ratum, modò baptizans nò ita determinet suam intentio- nem ad Paulum, vt intendat excludere Petrum. Ratio est, Quia primò & directè intendit bapti- zare hunc hominem presentem, quem priuato er- rore existimat esse Paulum: sed hic priuatus error non potest elidere intentionem per se sufficientē, cui intentioni per accidens coniungitur; nam in- tentio eius nullo modo ab illo errore pēdet. Nec refert, quòd falsum sit, *Ego baptizo te Paulum*; quia ex intentione ipsius verum est: sensus enim ver- borum est, *Ego baptizo te, quem puto esse Paulum*: qui sensus est verus; & sic oratio ista ab omnibus in hoc casu acciperetur. Secus res habet in Sacramē- to Matrimonij; quia intentio contrahentis ita fi- gatur ad hanc personam, vt excludat aliam. Ratio est, Quia Matrimonium non solum est Sacramen- tum, sed etiam quidam contractus ciuilis, in quo est quædam permutatio rerum & corporum: vn- de postulat vt fiat cum persona determinata, & inter res determinatas.

D V B I V M IV.

Vtrum necesse sit dicere in nomine, non in nominibus?

Respondeo, Id esse necessarium, ad eò vt si dicatur *In nominibus*, nihil efficiatur. Est cò- munitis sententia Doctorum. Ratio est, Quia non solum Trinitas personarum, sed etiam vnitas natu- ræ hoc Sacramēto profitenda est, cum sit Chri- stianæ fidei professio; ad quam non minùs vnitas naturæ, quam Trinitas personarum pertinet. Si autem dicatur *In nominibus*, significabitur diuersa- tas naturæ, saltē numeralis.

Notandum autem illud *In nomine*, potissimùm tria insinuare. Primò, *Virtutem & auctoritatem*. Ita D. Thomas, & Catechismus Pij V: quæ virtus & auctoritas, vna est in tribus personis.

Secundò, Insinuat *Inuocationem*. Ita Magister dist. 3. quomodo etiam interpretari videtur Cle- mens lib. 3. Recognitionum; & Auctor de Ec- clesiasticis dogmatibus cap. 34. vnde Patres Sa- cramentorum formas vocant *Inuocationes*; vt patet ex Dionysio cap. 2. parte 2. & cap. 7. par. 3. de Ec- clesiastica Hierarch. Et Cyrillo Hierosolimitano Catechisti 3. Illuminatorum. Dices, Tres sunt inuocationes diuinarum personarum: vnde Ec- clesia aliquando Patrem, aliquando Filium, ali- quando Spiritum sanctum inuocat: ergo *In no- mine*, nò potest esse *In inuocatione*. Respondeo; Du- pliciter potest Trinitas inuocari. Primò, Secundū propria personarum: & sic sunt *Tres inuocationes*. Secundò, Iuxta communia; & sic est *Vna tantum inuocatio*; quomodo inuocatur in Baptismo. Ratio est, Quia inuocatur Trinitas ad sanctificandum; sanctificare autem conuenit Trinitati secundum perfectionem essentialē & communem, quæ vna eademque est in tribus. Vnde Hieronymus in cap. 4. ad Ephes. *Non in nominibus, sed in nomine, quia vnus est Deus*. Idem docet Ambrosius lib. 2. de Sacram. cap. 7.

D d d Tertiò

Actus ba- ptizandi quomodo possit ex- primi.

Innocentij IV. opinio refutatur.

Affirma- tur.

Quomodo exprimen- da sit Per- sona que baptiza- tur.

19 Affirma- tur.

20

In nomine, quid signifi- cecit.

In Baptis- mo est solū vna inuo- catio Tri- nitatis.